Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25878
Copyright: Admont, Benediktinerstift

rebus suis ad episcopi ordinationem pertinere monstrantur, et tam ecclesie quam oblationes vel facultates eorum a laicorum dispositione probantur esse inmunes. Sed cum in episcoporum potestate facultates ecclesie constitute dicantur, potestas dispensandi intelligenda est, non distrahendi vel dilapidandi. Unde in Agathensi concilio legitur.

.II. Q.

s. xvii. q. ii. Res [?]

Res ecclesie aliquomodo alienare licet episcopis.

Casellas vel manciipiola ecclesie episcopi sicut prisca canonum precepit auctoritas, vel vasa monasterii quasi commendata fideli proposito, in integro ecclesie iure possideant, id est, ut neque vendere, neque per quoscumque contractus res unde pauperes vivunt alienare presumant. Quod si necessitas compulerit, ut pro ecclesie necessitate aut utilitate vel in usufructu vel in directa venditione aliquid distrahatur, apud duos vel tres provinciales aut vicinos episcopos causa qua necesse sit vendendi primitus comprobetur, ut habita discussione sacerdotali eorum subscriptione que facta fuerit venditio corroboretur. Aliter facta venditio vel transactio non valebit. Minus vero utiles possessiones peregrinis vel clericis salvo iure ecclesie in usum prestare permittimus. Item ex concilio Martini pape.

Res ecclesie dispensandi potestatem episcopus habeat.

Episcopus habeat potestatem in rebus ecclesie, ut dispenset necessitatem habentibus cum omni reverentia et timore Dei participare. Eum oportet que necessaria sunt, si tamen ipse aut qui cum eo sunt fratres indiguerint, aliquo ut necessitatem nullomodo patiatur, secundum sanctum apostolum dicentem: Victu et tegumento his contenti sumus. Si autem res ecclesie episcopus in suas voluntates usurpare voluerit, aut fratribus aut filiis vel quibuscumque propinquis suis dederit potestatem, ut per eos latenter res ledantur ecclesie, hunc oportet obnoxium esse concilio. Sin aliter episcopus vel qui cum eo sunt presbyteri aut diaconi accusantur, quod que ex reditu vel ex quolibet actu ecclesie veniunt in suos usus colligunt et pauperibus fraudant et famem conficiunt, hos enim corripi oportet secundum hoc quod ordinatum fuit a sancto concilio.

Si vero contra hanc prohibitionem aliqua de rebus ecclesie episcopum vendere contigerit, et res ipsa ecclesie restauranda, et ipse a gradu suo eiciendus decernitur. Unde in eodem concilio Martini pape legitur.

De episcopo qui nulla necessitate res ecclesie vendit.

Si quis episcopus nulla ecclesiastice rationis necessitate compulsus in suo clero, aut vero forte presbyter non est, de rebus ecclesiasticis presumpserit aliquid vendere, res ipsa ecclesie proprie restaurari cogatur, et in iudicio episcoporum